



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Caput CVI. De Destructione territorii Rinovv & Morte habitantium in eo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Poppo de Osterna VI. Magister Gener. Ord. Teutonici.  
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. Prussiae.*

**H**ic & variis afflictionibus Castigati Sambitæ à Domino per manus fratrum & aliorum Christi fidelium non valentes amplius resistere præsentatis filii suis in obsides subdiderunt se iterum fidei Christianæ.

## CAP. CV.

*De*

### *Recidinatione Sambitarum de territorio Rinovv.*

**S**ed inimicus humani generis Diabolus qui paci fidelium semper invidet & quieti, suggestit his hominibus Sambiaæ qui in territorio Rinovv fuerant constituti, quod in apostasiæ vitium iterum sunt relapsi. Unde ipsi congregati cum Exercitu Castrum Vischusen Episcopi Sambiensis impugnaverunt, in quo nisi duo viri, scilicet unus frater & famulus ejus fuerunt illâ vice. Et ecce mira res, percussi acrisiâ excœcavit eos malitia ipsorum, ut Zonam seu Corrigiam pendentem ante oculos ipsorum non viderunt, quam si cum minimo digito manus suæ traxisserent, dicti Castræ ostium aperuissent, & ipsum per consequens funditus destruxissent, & sic post impugnationem aliqualem infecto negotio recesserunt.

## CAPUT CVI.

*De*

### *Destructione territorii Rinovv.*

*Morte habitantium in eo.*

**Q**uod cum ad aures fratrum de Kunnigsberg deveniret, indignati ex hoc, congregaverunt cum aliis Sambitis exercitum

## PARS TERTIA

*Popo de Osterna VI. Magister Gen. Ord. Teutonici.  
Helmericus de Reichenberge VI Mag. Provinc. Prussiae.*

tum & intrantes dictum territorium Rinovv omnes viros interfecerunt mulieres & parvulos cum omni ipsorum substantia deducentes, sicque iterato quievit in pace terra Sambiae sicut prius.

## C A P. CVII.

*De  
Ædificatione Castrorum Tapiaw, &  
Locstete in terra Sambiae.*

**I**ntra Apostasiam secundam Castrum (a) Tapiavv, quod Prutheni nominant sugurbi & in successu temporis Castrū, Wiklantfort, quod dicitur nunc Locstete, à nomine cuiusdam Sambitæ, dicti Laucstiete, qui ibidem morabatur, ædificaverant, munientes ea, ut facilius compescerent malitiam Sambitarum.

## ANIMADVERSIO.

(a) Auctor Chron. Latinè sub Frid. Mag. scripti arces Tapiavv & Locstete dicit ab Henrico de Wida Magistro Provinciali tertio exstructas esse. Sed Dusburgio ut antiquiori fides habenda est.

## C A P. CVIII.

*De  
Desolatione Castri Girdawie.*

**H**oc tempore quidam dictus Girdavv, cuius progenies adhuc dicitur Rendalia, Zelator fidei & fidelium, habuit in terra Barthenisi castrum dictum à nomine suo Girdavv. Hic post multa bella & impugnationes, quas à compatriotis suis apostatis sustinuit, dum omnino deficeret ei vixus, combusto Castro cum omni domo & familia sua ad fratres de Kunnigsberg repedavit.

CAP.